

Heinrich Rahn Conrad Schuckmann


## **Disputatio Inauguralis, De Retentione**

Rostochii: Kilius, 1647

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766450929>**

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

42.18



DISPUTATIO INAUGVRALIS,  
DE  
RETENTIONE,

36

*Quam*  
AUXILIANTE DEO,

Ex consensu & autoritate Nobilissimi ac  
Amplissimi Jctorum Collegij in illustri Aca-  
demiâ Rostochienſi patriâ,

PRÆSIDE  
*Viro Ampliſſimo, & Conſultiſſimo*


DN. HEINRICO Raſnen /

J. U. D. Professore publico, Consistorij Ecclesia-  
ſtici Ducalis Aſſeſſore, p. t. Facultatis Ju-  
ridicæ DECANO Spectabili,

*Dn. Præceptore ac Fautore ſuo pl. honorando,*  
Pro Summis in Vtroq; Jure Privilegijs  
& Honoribus Doctoralibus confe-  
quendis,


*Publicè in Auditorio majori, die 14. Octobris, horis matu-  
ernis & pomeridianis examinandam proponit*

CUNRADUS Schuckman /  
Rostochienſis.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLVII.



VENERANDUM DN. PATREM


VIRUM

AMPLISSIMUM ET CONSULTISSIMUM

DN. HEINRICVM Schuckman /

J. U. D. Codicis in Academia Rostochiensis Professorem, & Consistorij Ecclesiastici Ducalis Assessorem,

*Velut ante primitiarum oblatione, studiorum meorum exoptatum post Deum Auctorem, pro virum tenuitate honorari, ita tunc submissa Inauguralis Disputationis Dedicatione, fidelem eorundem studiorum promotorem & assiduum Moderatorem,*



Veneror

Cunradus Schuckman.

CUM DEO.



*S*æpe homines rebus alienis adeo tenaces in-  
 cumbunt, ut earum possessionem, sublatâ etiam illâ,  
 ex quâ ipsi possidere cœperant, causâ, iuste reposcendi  
 restituere renuant, idq. nullis aliis ex causis faciunt,  
 nisi ut commoditate, quam rei possessa inesse ex diuti-  
 na possessione adverterunt, ulterius fruantur, tum quod possessione  
 cedere probrosum sibi esse imaginantur, tum etiam quod successori  
 eandem possessionem jure vicissim ingressuro omnino invident. Inde  
 fit, ut dum ad restitutionem urgentur, quia se in possessione amplius  
 manere secundum Legum præscripta non posse intelligunt, ad Reten-  
 tionis remedium convolent, quod cum sine causa sibi non obtingere  
 sciunt, causam retinendi querunt sed legibus minime cognitam, ut eâ  
 tamen ipsâ & incantum petitorum repellant, & minus circumscriptum  
 Judicem decipiant, Justitia aequitatisq. imò Charitatis colorem indu-  
 cunt, Ita sæpe rerum alienarum possessione, non sine alterius  
 detrimêto, frivole eam retinendo gaudent possidentes! Leges  
 econtra, qua neminem ledendum, sed suum cuiq. tribuendum esse præ-  
 cipiunt, eos, qui rerum suarum possessionem secundum leges recuperare  
 volentibus sine legitimâ causâ resistunt, non minus ac ipsos aliena pos-  
 sessionis invasores puniendos esse censent; nec tamen idcirco reten-  
 tionis commodo omnes rerum alienarum detentores privari volunt,  
 quin eam potius (justitia tamen aequitatisq. cancellis circumscriptam)  
 ex justâ & rationabili causâ admittunt, eosq., qui ejusmodi causam  
 pro retinendâ rei possessione allegare possunt, non modo non puniunt,  
 sed & contra petitores legitimè tuerunt. Cum autem Retentionis ma-  
 teria non in unâ juris nostri sede locata, sed passim in legibus dispersa  
 inveniatur, ipsa tamen & à communi usu non aliena, & interdum  
 possessoribus necessaria sit, non inutile me opus facturum existimavi,  
 si eas, qua de Retentione descriptæ extant Leges ex jure hinc inde col-  
 lectas,

A

lectas,



lectas earumq; contenta, certis thesibus comprehensa exhiberem, & illas deinceps inaugurali disputationi ex decreto Nobilissimi collegii Juridici publicè instituenda, veritatis eruenda gratiâ subicerem; Sic igitur implorato ante omnia supremi Numinis auxilio

## DE RETENTIONE

THESIS I.

**V**OX *Retentionis* frequentissimo quidem in utroq; Jure usu venit, non unam tamen eandemq; in omnibus locis significationem obtinet. Ut igitur hujus vocis omnis in antecessum præscindatur ambiguitas, sciendum est, nihil aliud hoc loco esse *Retinere*, quam rem possessam quasi pignoris loco retinere, quo sensu accipitur in *l. de re s. D. de dote præl. l. Creditoris 15. §. fin. D. de furtis* & aliis plurimis, inq; hac significatione strictum intellecta *Retentio* pinguius describitur hoc modo:

II. *Retentio* est remedium, quo quis rei alienæ, quam possidet, eusq; contra petentem incumbit, donec de eo, quod vel istius rei, quam tenet, nomine, vel ex alia justa causa invicem præstari oportet, sit satisfactum.

III. Ex quo jure *Retentio* descendat, pluribus explicare nihil attinet. Brevis scire sufficit; *Retentionem* ex æquitate contra stricti juris rationem, introductam esse, quod ipsum non obscure colligitur ex *l. si in area 33. D. de Condict. indeb. l. 14. D. de dol. mal. & mer. exc. confer. l. 46. §. 6. D. de procur. l. sumptus 48. D. de R. V. l. 14. §. 1. D. Comm. divid.*

IV. Ut autem *Retentioni* locus esse possit, duo imprimis necessaria sunt; oportet enim ipsam, qui retentione uti vult, & justam retinendi causam habere, & rem, quæ retineri debet, sine vitio possidere.

V. Causa, ex quâ justè retinetur possessio, Vel rei retinendæ cohæret, suntq; aut impensæ in eam rem factæ, aut damnum ex illa re proveniens, aut aliud aliquod debitum possessori à petitore occasione rei possessæ præstandum. Vel rei retinendæ non cohæret, diciturq; aliud debitum extra respectum ejusdem rei contractum.

VI. Impensæ, quarum causâ justa plerumq; *retentio* est, ita hoc loco accipiendæ sunt, ut intelligantur necessariae i. e. in rei conservationem factæ, *l. 8. D. de pignorat. act. l. 5. D. qui pot. in pign. l. 79. D. de V. S.* inter quas sumptus quoq; litium non immeritò referuntur *l. 53. §. fin. D. de furtis, d. l. 40. §. 6. D. de procur. Utiles i. e. quibus res melior aut pretiosior facta est, d. l. 79. §. 1. D. de V. S. l. pen. D. locati, & interdum voluptuaria; l. 39. §. 1. D. de Hæred. petit.*

VII. Ex-

36  
VII. Excluduntur igitur ab hac materia illa impendia, quorum erogatio naturali ratione ad possessorem pertinet *l. 18. §. 2. D. Commodati.* nec non illa, quæ non repetendi animo facta sunt *l. 34. D. de negot. gest.* item immodicæ impensæ, quæ licet in utilitatem rei versæ videantur, adeo tamen magnæ sunt, ut nec dominus eas fecisset, & quarum causâ dominus rem pro derelicto habere cogitur, ob id, quod sibi gravis facta sit ad recuperandum, vel quæ ob penuriâ à domino refundi non possunt; quibus in casibus res quidem ipsa domino restituetur, arbitrio autem Judicis relinquitur, quomodo possessori de impensis, quæ ad iis res pretiosior facta est, consulatur, *l. 38. D. de R. V. & l. 25. D. de pign. act. l. 3. §. 4. D. de in rem verso.* excluduntur deniq; illæ impensæ, quæ in aliâ quàm eam rem, quæ retinetur, erogatæ sunt, *arg. d. l. 8. D. de pign. act. d. l. 18. §. 2. in verbis, quæ ejus causâ facta essent D. Commodati. arg. l. 1. §. 2. D. de impensis in res dot. fact.*

VIII. Damnum præterea, ut justam retinendi causam facere possit, ita comparatum sit oportet, ut à re retinendâ proficiscatur, sive illud ex ipsâ re, sive saltem ejus occasione possessor patiat, & sive præteritum sit, sive futurum, *l. 9. §. 3. l. 22. D. de damn. infect. l. 8. D. de incend. ruin. naufr. l. 8. §. 1. D. de pig. act.*

IX. Præter damnum & impensas sæpe petitur possessori & alio obstringitur debito, eoq; rei possessæ vel principaliter vel accessoriè cohærente, quod cum accidit, non minus ac aliis ex causis justè res retinetur; tale debitum est pensio, pretium, usuræ &c. de quibus & cæteris supra recensitis causis opportunius infra referetur.

X. Causa, quæ rei retinendæ non cohæret & tamen retentionem operatur, dicitur aliud debitum, videlicet liquidum. Ex hac causa creditor pignus pro aliquo debito contractum, illo debito soluto, propter aliam adhuc pecuniam sine pignore debitam, donec & ea exsolvatur, retinet, *l. unie. C. etiam ob Chyograph. pec. pign. ret. poss.*

XI. Possessio quoq; ad obtinendum retentionis commodum requiritur, *l. 14. D. de doli mal. & met. except. l. 8. D. de pign. act.* ubi enim nulla est possessio, ibi frustra opponitur retentio, *arg. l. 14. §. 1. D. comm. divid.* sufficit autem qualiscunq; possessio, sive enim civilis sit, sive naturalis aut nuda detentio, justa tamen, retentioni locum facit, per *l. 53. §. fin. D. de furtis l. 22. D. de damno inf. confer. l. 12. D. de acquir. vel am. poss. l. 2. §. 1. D. pro herede.*

XII. Oportet igitur rem ad eum, qui retinere vult, aliquo casu pervenisse, qua tamen in re hoc discrimen notandū est, quod siquidē propter impendia, vel propter damnum retentio opponitur, satis sit, istam rem & sine voluntate

domini ad possessorem pervenisse, quod sæpius in bonæ fidei possessoribus contingit, *l. 38. D. de R. V. l. 33. D. de condit. indebit. l. 9. §. 3. D. de damn. inf. l. 8. D. de incend. ruin. naufr. & si cum voluntate domini ad eum pervenerit, non præcisè requiratur, eandem rem possessori obligatam esse, l. 11. §. fin. D. de furt. l. 22. D. de damn. infect.*

XIII. Si quis verò propter aliud quoddam jus in re, vel propter debitum occasione rei præstandum, ipsam retinere velit, opus est, ut voluntate domini re possessionem nactus fuerit, *l. 4. C. de usuris.* licet nõ eo animo res ad eum translata sit, ut apud eum maneret; unde etiam, cum res ita ad aliquem pervenerit, ut eam alij restituat, poterit jus, quod propter istam rem habet, per retentionem sibi conservare. *l. 70. pr. & §. 1. D. de legat. 1. l. 19. D. Ad SCrum Trebell.*

XIV. At si quis rem possessam pro illo debito, cum quo nihil commune habet, de quo *supr. Tb. 10.* retinere velit, necessarium planè est, eandem rem & cum voluntate domini & cum quodam obligationis vinculo ad eum pervenisse, per *l. 30. D. de pign. act. l. unic. C. etiam ob Chyrograph. pecun.* Alias enim sine obligationis nexu, & extra supra enumeratas causas, rem pro re, debitum pro debito retinere non licet, *l. fin. C. de commodato l. 25. D. de act. empti.*

XV. Ad eum, qui rem alienam detinet, Retentionis commodum pertinere, ex ijs quæ dicta sunt intelligitur, utrum autem eà ad bonæ fidei possessorem (de quo alias nullum dubium est,) restringendâ sint, an vero etiam ad malæ fidei possessorem, si rei meliorationes & necessaria impensæ spectentur, extendendâ? etsi non usq; quaq; expeditum est: Legû tamen autoritate res ita deciditur; Ut malæ fidei possessor necessarias quidem impensas & utiles, per iudicis officiû, sine læsione prioris status rei, deducere possit, ipsam autem rem domino pròtinus restituere jubeatur *l. Domum 5. C. de R. V. l. 38. D. de Her. per. minimeq; eam retinere debeat l. 19. §. 2. D. d. s.* potest tamen is, qui alienam rem malâ fide detinet, adversus suum autorem in casu, quo illa autoris facta fuerit, justè ejus retentione uti, per *l. 1. D. de pign. & hypoth.*

XVI. Hinc alia in specie de spoliatore quaestio est, an ille videlicet rem spoliatam sub prætextu melioramentorum retinere possit? Sed quia spoliator præcisè & absq; ulla exceptione rem spoliatam restituere tenetur *l. 7. C. unde vi. c. 2. x de ord. cognit.* ideo commodum Retentionis omninò ipsi denegandum esse non dubitatur; arg *l. fin. §. 1. C. de compensat.* idemq; statuendum est de eo, qui talem rem à spoliatore, bonâ licet fide, possidet. per *can. redintegrandâ 3 quest. 1. c. fin. x de ord. cognit.*

XVII. In genere itaque retentionem sibi acquirit; quisquis rem possidet,

36  
det, per ll. supr. th. II. allegatas. Sciendum autem est, non tantum per seipsum quemquam retentionem sibi acquirere, sed per extraneam quoque personam, ut puta per Procuratorem, per quem Dominus & pignoris vinculum & retentionem sibi acquisitam etiam absque cessione habet per l. 2. C. per quas pers. nobis acquir. & arg. l. 1. §. per Procuratorem 20. D. de acquirend. possess.

XVIII. Cognitis his, qui retinere possunt vel non, eos deinceps novisse opus est, contra quos datur retentio, illis vero, ut verbo res exprimatur, opponitur, qui res suas à possessore petunt, l. 45. §. 1. D. de act. empri. Hactenus autem summam tantum de his, quibus retentio competit, actam est, laetius enim & specialius intelligentur iuxta personam ex ijs, quæ deinceps de rebus, in quibus ut plurimum se retentio exserit, dicentur.

XIX. Res, quæ retineri possunt, tales in genere esse oportet, ut sine vitio apud detinentem inveniantur, si vero vel possessor vitiosus sit, vel res detenta in se vitium habeat, retentioni locus non erit, per ea quæ in Th. 15. & 16. tradita sunt.

XX. Hac præterea qualitas rebus retinendis inesse debet, ut sint in hominum commercium, itaque res sacra, religiosa, liber homo à retentione eximuntur. Quarum enim rerum commercium non est, eas pignoris iure accipere & consequenter retinere nemo potest l. 1. §. 2. D. quæ res pign. vel hypoth. dat. l. 3. §. 6. C. eod. l. fin. D. eod. l. fin. C. de postlim. revers. l. 21. C. de sacro sanct. Eccles.

XXI. Hinc quaeritur, an heres clericus uti possit retentione rei ecclesiasticæ, pro expensis à defuncto factis? licet autem rei ad Ecclesiam pertinentis retentio non facile admittatur, arg. c. de multa 28. x. de præbendis, ob expensas tamen in rei ecclesiasticæ utilitatem contemplatione Ecclesiæ, non sui, à defuncto erogatas, heredi ex æquitatis ratione, retentionis jus competere defendi potest arg. can. quicumque caus. 12. quæst. 4.

XXII. Hoc etiam in rebus sacris observandum venit, ut ex quibus causis obligari possunt, ex istdem causis, puta captivitatis vel famis obligatæ, donec pro his satisfiat, retineri possint arg. §. 8. Inst. de R. D. l. sancimus 21. C. de S. S. Ecclesiis.

XXIII. Sic & liber homo, qui aliàs obligationis vinculo exemptus est, d. l. 6. C. quæ res pign. ex aliqua causa retentioni subjacet, si enim ab hostibus redemptus sit, eumque à Redemptore pignoris iure retinetur, donec pretium reddat, l. 43. §. fin. D. de legat. 1. l. 15. D. de capt. & postlim. l. 2. l. fin. C. eod.

XXIV. Tam autem corporales res retinentur, quam incorporales seu

jura, de illis quidem minùs dubitatùr; de his verò dubium est, quod nec vera horum possessio sit *l. 1. §. 8. D. quod legat.* neq; propriè dicta restitutio *l. 19. §. fin. D. de Hered. petit.* verùm non obstante illà dubitationis ratione, jura per protestationem commodè retineri possunt, *arg. l. 4. §. 1. D. quibus modis pign. pro quo facit, quod protestando animus declaratur l. 34. D. de negot. gest. l. 14. §. 7. D. de Relig. & sumpt. fun.* soloq; animo possessio retinetur *§. 5. Inst. de Interdict. l. 30. §. 5. D. de acq. pass. & deniq; res incorporales seu jura, licet non verè, quasi tamen possideri l. 23. §. 2. D. ex quibus caus. major.* eodemq; modo restitui dicuntur, *arg. l. 1. §. 8. D. quod legat.*

XXV. Usufructuarius autem etiam corpora i. e. bona ad utendum fruendum sibi data, utpote quæ naturaliter possidet *l. 12. 49. D. de acq. vel amit. poss.* finito usufructu retinere potest, non tamen ex omni causa; Ob expensas enim in modicam rei in usumfructum datæ refectionem factas, usufructuario retentio non competit, cum talis resectio ad usufructuarium pertineat, *l. 7. §. 2. D. de usufr. & quemadm. quib.* idemq; est in cæteris, quæ ab usufructuario propter usumfructum expendenda sunt *d. l. 7. §. 2.* neq; etiam illi ob rei meliorationes retentio dabitur, quod fortè vel nova ædificia extruxerit, vel quæ fuerunt excoluerit, quo ipso rei status mutatur, hoc enim ipsi sine proprietarij licentia facere non licet *d. l. 7. in fin. l. 8. d. t.* Tueri namq; tantùm quod accepit usufructuarius, non novum facere debet *l. 44. D. d. t.* Ob damnum tamen, quod ex rei interitu, præter usufructus amissionem usufructuarius vel passus vel passurus est, retentionis Jure contra proprietarium commodè uti potest, cujus rei exemplum habetur in *l. 22. D. de damno infecto.*

XXVI. Præterea potest quis ex justa & rationabili causa retinere eas res, ad quarum restitutionem vel personali, vel reali actione convenitur, sive illa actio ex vero, tam stricti Juris, quàm multò magis bonæ fidei, sive ex quâ contractu nascatur,

XXVII. Debitor itaq; retinendo rem à se ex mutuo vel stipulatu debitam, commodissimè id consequitur, quod sibi à creditore ex eiusdem debiti causa præstari oportet; textus est in *l. pure §. D. de dol. mal. & met. exc. l. 50. D. de solut.*

XXVIII. Eodem modo indebitò acceptum, pro vero debito retineri potest, e. g. si quis centum aureorum debitor fundum ducentorum per errorem solvat, posteaq; à creditore fundum indebiti conditione repetat, fundus à creditore retinebitur, donec debita pecunia solvatur *l. 26. §. 4. D. de condict. indebit.*

XXIX.

36  
XXIX. Commodatarius quoque ex iusta & rationabili causa rem uten-  
do datam retinet, *l. 20. D. de acq. vel amitt. poss.* iustam autem & rationabi-  
lem causam in commodato faciunt impensa, *l. 18. §. 2. D. commodati* & qui-  
dem necessaria, *l. 59. D. de furtis.* eaq; maiores; modica enim impensa sicut  
& cibariorum, naturali ratione ad commodatarium pertinent *d. l. 18. §. 2.*  
praetextu v. alterius cuiusdam debiti, restitutio commodati non probabiliter  
recusatur. per *l. fin. C. de Commodat.*

XXX. In deposito specialiter constitutum invenimus, ut ejus no-  
mine neque compensatio neque deductio, neq; doli mali exceptio seu  
retentio deponenti opponi possit, *in l. pen. C. Depositii.* ideoq; nec propter  
expensas, in re deposita retentioni locum esse per *d. l.* probatur; licet enim  
impensarum quidem magnus in jure favor sit, maior tamen est rei depositae,  
tantus quidem, ut nulli licentia sit ejus restitutionem prohibere, vel illam  
retinere, per *Nov. 88. c. 1.* idq; propter summam & naturalem, quae est in re-  
stitutione depositi deponenti faciendae, aequitatem *l. bona fides 31. D. depositii.*  
si quas tamen depositarius expensas fecit, potest eas a deponente, cui istae im-  
putantur, contraria depositi actione repetere *l. 12. 23. D. d. 2.*

XXXI. Pignus, cujus ob id, quod res sit creditori obligata iusta retentio  
est *l. 34. D. de dam. infect.* lex potissimum de causis retineri potest, 1. propter  
debitum cuius nomine constitutum est, pro quo creditor rem pignoratam  
iuste retinet, cum debitor eam, debito aut nullo, aut non toto soluto, repetit,  
*arg. l. 9. §. 3. D. de pign. act. l. 1. C. de luition. pign. l. 25. §. 11. D. fam. ercisc.*

XXXII. 2. Propter aliud debitum, pro quo pignus illud non est obli-  
gatum; qua de causa creditor rem, quam pro debito aliquo obligatam habet,  
post illius debiti solutionem, pro alia pecunia, pro qua non est obligata, reti-  
nere potest, quod ipsum quoq; *supr. th. 10.* ostensum fuit, & probatur per  
*l. unic. C. etiam ob chyrograph. pec. pig. ret. poss.* eam autem retentionem pro  
chyrographario tantum debito fieri posse, ex all. lege & eius rubrica constat;  
itaq; pro alio debito hypothecario pignoris retentio non valet; quam enim  
quisq; pro debito hypothecam accepit, ea contentus esse debet, *l. fin. vers.*  
*& si quidem C. de pact. convent. tam super dote.* quod autem dictum est, rem  
in unum debitum pignoris nexu datam, pro alio debito retineri posse, ratio-  
nem habet contra ipsum debitorem: nam adversus agentem alium credito-  
rem, qui in eo pignore potiore causam se habere contendit, & pecuniam  
creditori pignus possidenti offerentem, non est tuendus is, qui in possessione  
pignoris est per *l. quarebatur pen. D. qui pot. in pign. vel hypoth.*

XXXIII. 3. Propter usuras, licitas tamen *l. 8. C. de usuris,* & de quibus  
pra-

præstandis pacto convenerit, licet enim usuræ sine stipulatione extra casum  
moræ non peti, pacto tamen pro his interposito, per retentionem pigno-  
ris servari possunt *l. 3. 4. C. de usuris*. adeò quidem, ut contra Fiscum etiam,  
qui in locum debitoris, cui sub pignore creditum est, successit, pignus illud  
propter usuras, quas dependi pacto placuit, retineri possit *l. si sub pignore 2. C. de Fisc. usur. conf. d. l. 4. C. de usuris*. non idem juris est, si certæ summæ poe-  
na promissa fuerit, nec enim pro ea, sicut pro usuris, pignus retineri potest,  
idq; in odium poenæ ita constitutum invenitur in *l. pignoribus 22. C. d. 1.*

XXXIV. 4. Propter impensas necessarias *l. 8. D. de pign. act. l. 25. eod.*  
sive eas creditor in ipsius rei pignoratæ conservationem, eo quod sine his vel  
peritura, vel deterior futura sit, fecit, iuxta *l. 79. D. de V. S.* sive quid aliud oc-  
casionem pignoris possessi necessario solvit, ut puta onera tributorum, vel alios  
sumptus pro possessionibus pignoratæ consuetos, *l. 6. C. de pign. l. 7. C. de  
pign. act.*

XXXV. Ex hac quartâ impensarum necessariarum causâ posterior credi-  
tor priori in pignore præfertur, *l. 5. D. qui potiores*, & propter hoc, si contin-  
gat, talem rem, ad quam vel comparandam, vel conservandam posterior vel  
pecuniam credidit, vel impensas fecit, ab eo possideri, non tantum adversus  
dominum vindicantem, sed etiam quemcumq; priorem creditorem, dotis pri-  
vilegio excepto, iustâ ejus rei retentione uti potest, arg. *Nov. 97. c. 3. & d. l. 5. D. qui potiores*, per rationem, quæ est in seq. *l. 6. d. 1.*

XXXVI. 5. retinetur pignus propter periculum occasione pignoris cre-  
ditori imminens, vel damnum futurum, v. g. Creditor, qui plures res pignori  
obligatas habet, si quasdam illarum vendit promissione emptori de evictione  
factâ, cæteras res non distractas retinere potest, donec sibi à debitore, in-  
demnem se promissæ evictionis nomine futurum, caveatur *l. 8. § 1. D. De pign.  
action.*

XXXVII. 6. deniq; pignoris retentio procedit propter pactum aliquod  
pignori adjectum, puta ἀντιρρησις, si enim creditori mutuis pignoris  
usus pro credito pacto constitutus sit, & ipse in possessionem pignoris induca-  
tur, eousq; retinet possessionem, donec sibi pecunia solvatur, *l. 11. §. 1. D. De  
pign. & hypoth.*

XXXVIII. Quæ de pignore retinendo dicta sunt, non tantum ad eas res,  
quæ expresso pignori obligatæ sunt, sed ad eas etiam, in quibus tacita contra-  
hitur hypotheca, pertinent.

XXXIX. Ex hoc enim fundamento mulier, pro cujus dote bona mari-  
ti tacitæ hypothecæ nexu tenentur, § 29. *Instit. de Actionib. l. unie. § 1. C. de*

Rec

36  
Rei uxor. *act.* c. 5. *de pignori.* iisdem mariti bonis, in quorum possessione constantē matrimonio iure familiaritatis est, *arg. l. 41. D. de acq. vel am. poss.* eousq; soluto matrimonio, vel etiam constante incumbit, donec dos, quam illatam esse probare potest *l. 1. C. de dote caut. non num.* restituatur. Eoq; retentionis remedio utitur mulier, nō tantū mortuo marito aduersus ejus heredes, vel creditores, quibus potior habetur, sed interdum vivo etiam marito, cum ad inopiam redactus est, aduersus ipsum, & ejus creditores, *l. 30. C. de iure dot. Nov. 97. c. 3. l. 12. C. qui potiores in pig. l. 29. C. de iur. dot.*

XL. Pro paraphernalibus quoq; bonis supra dotem illatis, nec non pro donatione propter nuptias, mulieri in bonis mariti, & tacitum pignus, & retentio competit *d. l. 29. l. fin. C. de pactū convent. tam sup. dot.* hoc tamen discrimine seruato, ut non, sicut ob dotem & res paraphernales, eodem modo & propter antenuptialem donationem, contra creditores anteriorem hypothecam habentes, retentione bonorum mariti se rueri possit; cum propter talem donationem mulier omnibus creditoribus in hypothecā non præferatur, sed inter creditores sui temporis ordinem habeat, per *d. l. 12. §. 2. & in ea all. rationem C. Qui potior. in pig. Nov. 97. c. 3.*

XLI. Non indistinctē autem mulier omnia, quæ inter bona mariti sunt, propter dotem & cæteras causas retinere potest: istæ enim res, in quibus maritus nullum jus habet, sed tantū alterius nomine in possessione est, quia mariti nō sunt, retineri non possunt *arg. l. 29. C. de iur. dot.* tales sunt res depositæ, commodatæ &c. per *§. fin. f. de vi bon. l. pen. C. deposit. l. fin. C. de commodat.* quò referri debent & feudalia bona, quæ, quia sine consensu domini pignori obligari non possunt, nec retentioni subjacent. per *text. & cum eo citatam rationem in c. unic. in pr. 2. F. 55.* fructus tamen sicut ab aliis creditoribus, ita & à muliere propter dotalia jura retineri posse, constat, *ex c. unic. 2. F. 86.*

XLII. Illud quoq; hoc loco tenendum est, quod si maritus pro dote vel donatione ante nuptias, rebusq; extra dotem constitutis, certas res supposuit, in istis demum rebus uxor vel vidua retentionis iure uti possit, reliquis bonis cæteris creditoribus relictis *arg. l. fin. C. de pactū convent. l. 10. C. qui potiores in pig.*

XLIII. Contra verò, marito etiam pro dote præstandā, vel rebus dotalibus euictis, in bonis soceri, vel uxoris, retentio competit *arg. l. 1. C. de iur. dot.* cujus ratio est, quod ex ejusmodi causis marito in prædictis bonis tacitā hypotheca datur. *l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.*

XLIV. Ipsam autem dotem soluto matrimonio maritus, vel ejus heredes, pignoris iure nulla ex causa retinere possunt, per expressam generalem constitutionem in *d. l. unic. §. taceat 5. C. de rei ux. act.* nec obstat huic constitutioni, quod necessaria impensæ dotem ipso iure minuant, *l. 15. D. de impensis in res do-*

B

sales



*tales fact. §. 37. Inst. de act. cum aliud sit, dotem per necessarias impensas minorem fieri; aliud verò, pignoris jure retineri dotem, ob ea, quæ mulierem invicem præstare æquum est, per l. 5. D. de dot. praeleg.*

XLV. Ardua hinc resultat quaestio: An liberi, quorum tutelam mater suscepit, matre ad secundas nuptias transeunte, dotem ejus, donec administrationis ratio reddatur, retinere possint? Et quamvis tam pro affirmantium, quam negantium sententiâ suæ militent rationes; quia tamen bona tutorum vel curatorum, pupillis vel adultis, pro administrationis officio pignoris titulo tacitè obligata sunt *l. pro officio 20. C. de administr. tut. vel cur.* quia deinde in specie omnia mulieris tutelam gerentis bona, vel tota ejus substantia, minori ætati tacitè subjacet *l. fin. C. quando mulier tut. off. fung. pot. Nov. 118. c. 5.* quia denique mulier liberorum tutelam suscipiens, omni legum auxilio renunciat *d. l. fin. Nov. 94. c. 2.* idcirco magis probabilis est sententia statuentium, mulierem secundo nubentem, & ante quam administrationis ratione reddidit, dotem à liberis petentem, retentionis exceptione repelli posse; cui accedit, quod & secundi mariti bona pro uxoris quondam tutricis administratione jure pignoris teneantur obnoxia *l. pen. C. in quib. causis pign. l. 2. C. quando mul. tut. off. fung. pot.*

XLVI. Ab his, quæ occasione dotis, pro quâ mariti bona retineri possunt, dicta sunt, ad alias porrò quasi pignoris species transeundum est: ex quibus se statim offert res vendita; de qua sciendum, quod in vacuum ejus possessionem venditor emptorem inducere non cogatur, priusquam totum pretium ab emptore restituatur, *l. si pater 8. C. de act. empti.* adeò ut licet plures emerint, unus offerens portionem pretii, empti actione consequi non possit, ut sibi à venditore res vendita pro parte tradatur, sed retentionis potius exceptione repellatur: nam venditor pignoris loco retinet quod vendidit, quoad emptor satisfaciatur *l. 31. §. 8. D. de de edil. edit. l. 13. §. 8. D. de act. empti. l. 22. D. de hered. vel act. venditâ.*

XLVII. Locatori ob id, quod pensio vel merces à conductore soluta non fit, & ob id, quod prædium locatum deterius factum sit *l. 2. D. in quibus causis pign. retentio competit eorum, quæ in prædium conductum à conductore inventa & illata sunt l. 9. D. d. t.* propter tacitam, quâ istæ res locatori tenentur, hypothecam *l. 4. D. de pactis.* in hac autem retentionis specie & circa prædia locata, & circa res inventas vel illatas, quædam differentia notanda est.

XLIX. Prædia igitur differentiam faciunt in hoc, quod si urbana sint, utpote domus, habitatio, horreum &c. inventa & illata, ignorante etiam domino, tacitè & obligata sint, & pignoris jure retineri queant, perinde ac si specialiter de his convenerit *l. 6. D. in quib. caus. pig.* At si rustica prædia locata fuerint, non aliter

aliter obligantur ea, quæ invehuntur, vel inferuntur, quàm si de his obligandis inter contrahentes convenerit. l. 5. C. in quibus causis pig. differentia hæc evidenter notatur in l. 5. C. de locato. l. 4. D. in quibus causis pign. Ratio autem differentie hæc esse videtur, quod in agrum seu fundum non eo animo res inducuntur, ut ibi sint, adeoq; nec pignore sine conventionione tenentur per l. 7. s. fin. D. in quibus caus. pig. Fructus interim, qui ex rustico prædio nascuntur, etsi nominatim id non convenerit, locatori tamen tacite obligantur, & sic obligata pignoris jure ex causa retinentur, d. l. 7. pr. l. 3. C. eod.

XLIX. Circa res investas & illatas hoc discrimen est, quod siquidem eo animo illatae fuerint, ut ibi essent, pignoris jure retineri possint, sin minus, non possint, per l. 7. §. 1. D. in quibus causis pig. l. 5. C. eod. hoc etiam circa investa dispiciendum est, utrum in bonis ejus sint, qui prædium conductum habet, necne? priori enim casu cum præclusa sunt, retineri pignoris jure possunt l. 9. D. d. r. posteriori verò non aliter, quàm si, postquam investa sunt, conductoris facta fuerint, cum aliena res, quæ in obligantis bonis non est, jure pignoris teneri non possit l. 5. 6. C. si aliena res pign. conf. l. 16. §. 7. D. de pign.

L. Observatis his, quæ prænominatae sunt, differentiis, hospes vel caupo, qui hospitio suo inquilinos recepit, investa ab his & illata, suppellectile tamen ad usum necessariam exceptam per l. 6. D. de pig. pro habitationis mercede vel deterioratione, jure retinet d. l. 2. D. in quibus causis. idem juris in mercatorum mercibus illatis ob easdem causas habet, arg. l. 34. D. de pig.

LI. De Scholarium libris in hospitium illatis, quid statuendum sit? primâ fronte dubitari potest: negari quippe nequit, libros ad eruditionem contendentibus necessarios esse: quia verò in ll. à pignoris vinculo specialiter libri non excipiuntur, & ab ipsis scholaribus non raro creditoribus expresso pignori dantur, quia etiam sub doctrinae vel eruditionis ex libris hauriendae prætextu cuiquam jus suum detrahi non debet, proinde libros scholarium apud hospites inventos arresto ex justa causa præcludi, & retineri quotidiana praxis docet, cum quâ confer. l. 2. D. in quibus causis pig. d. l. 6. D. de pign. l. 1. C. quæ res pignori vel hypoth. l. pen. D. ad exhibendum. quæ tamen retentio, personarum contemplatione habitâ, secundum earum qualitates moderanda erit arg. l. 15. in fin. D. de neg. gest. l. 8. §. 11. D. de transact.

LII. Navis quoq; Magister, qui eam vel mercibus vehendis, vel in eâ loca vectoribus locavit, si quarundam mercium jactus levandae navis gratiâ factus est, cæterorum vectorum merces commodè retinere potest, donec damni portionem præstent, & omnium contributione farciatur, quod pro omnibus datum est. l. 1. l. 2. D. de leg. Rbod. de jact.

LIII. Quæ dicta sunt de his, qui prædia locant, ea ad illos etiam, qui operas

suas aliis locant, non immeritò referuntur: quam ob rem artifices, veluti factor, factor &c. operis facti possessionem, donec pro mercede satisfiat, retinent, justam enim & rationabilem non tradendi possessionem causam habent, *arg. l. 12. D. de Vi & Vi arm. l. 20. C. de acquir. vel amitt. poss.*

LIV. Pari ratione causarum patroni seu Advocati, propter mercedem, vel honoraria, quæ aliàs jure peterè possunt *l. 1. §. 10. D. de extr. cogn.* acta & instrumenta justè retinent per *h.* & rationem in præcedenti thesi citatam, quod tamen ad acta publica, quæ exhiberi magistratus & reipubl. interest, extendere difficile est: cum publica utilitas privatæ præponenda sit *l. 51. §. fin. D. ad L. Aquil. l. 3. C. de primipil.*

LV. Per contrarium, conductoribus quoq; rerum conductarum retentio ex justa & rationabili causa non denegatur; Inquilinus itaq; vel colonus prædii conducti domino, nec injuriam, nec vim facit, cum ipsi possessionem repententi resistit, prædiumq; eousq; detinet, donec sibi impensæ & meliorationes, secundum distinctionem tamen, quæ est in *l. ult. D. de impensis* restituantur, per *l. colonus 12. D. de Vi & Vi arm. l. non ab re 10. C. unde Vi.*

LVI. Non idem juris est in Emphyteuta, utpote qui, dum ob culpam, puta non solutum intra tempora constituta Canonem, à domino emphyteusi privari & expelli potest, retinendi prædia ob impensas & meliorationes potestatem non habet, per *l. 2. C. de jur. emphyteut. Nov. 7. c. 3. §. 2.* Si tamen sine culpâ ejus, extinctâ fortè generatione, finita sit Emphyteusis, meliorationum rationem habendam esse, testatur *Andr. Gaill. 2. obs. 121. n. 15.* eaq; sententia tunc locum habet, cum ultra pacta contractui adjecta, ultraq; naturam ipsius Emphyteuseos, meliorationes factæ sunt, *arg. l. 1. C. d. t. l. pen. D. locati.*

LVII. Operarum quoq; conductor, nisi ob causam, quod secundum conditionis legem præstita non sint, *arg. l. 15. D. locati.* mercedis retentionem operariis non indistinctè opponet: cum stipendia seu mercedes, nec in causa judicati indifferenter pro pignore capi possunt, sed tum demû, cum alia ratione executio fieri nõ potest, *l. stipendia 4. C. de execut. rei jud.* Merces autem operariorum pro præstito diurno labore, ab omni retentionis nexu exemptas esse, & sacra scripturæ volunt *Lev. 9. v. 13. Deut. 24. v. 14. Tobie 4. v. 15.* nec humanæ leges cõtradiciunt.

LIX. Præter res, vel expressè, vel tacitè obligatas, de quibus hætenus; retentioni porrò suppositæ sunt & aliæ, quæ sine pignoris vincolo ab aliquo detinentur. Sic n. socius, vel is qui extra societate rem communem possidet, *§. 3. Inst. de oblig. quæ qs. ex contr. nasc.* impensas in eam rem necessariò vel utiliter nomine societatis vel communionis factas, per retentionem rei, si ab uno sociorum conveniatur, servare potest, *l. 14 §. 1. D. comm. divid. arg. l. 67. §. 1. C. 2. D. pro soc.*

LIX. Pari ratione mandatarius vel procurator, sive ad judicialia, sive extraju-

trajudicialia negotia datus sit, id quod ex administratione negotiorum, vel ex lite, vel aliàs occasione mandati consecutus est, *l. 46. §. 5. 6. D. de procur. restituere*, nisi refusis à domino expensis, non tenetur, *d. §. 6.* sed ejusdem retentione cōmodè uti potest, *per l. 25. in fin. §. l. 30. D. d. r.* Utrum verò, ob eos quoq; sumptus, in quibus erogandis fines mandati excessit, retentionis jus mandatario competeat? ambigitur: At æquum est, ut, quamvis actionem in hoc casu procurator non habeat *l. 41. D. mandati.* sumptus tamen supra mandatū utiliter factos, per retentionis remediū, si nondūm rem, in cujus gratiam tales facti sunt, mandanti tradidit, recuperare possit; cum nonnunquam quæ per actionem consequi non possumus, per retentionem, ubi æquitas suadet, adipiscamur *l. 29. §. 1. D. de evictionib. l. 33. in fin. D. de condiç. indeb.*

LX. Cæteri etiam alienarum rerum administratores, quales sunt negotiorum gestor, tutor, curator, res administrationis occasione ad se pervenientes, donec sibi pro impendijs satisfiat, ut dominis petentibus restituant cogi non possunt *per l. 1. D. quib. mod. pig. vel hypoth. solvit. l. debitor meus 13. D. de negot. gestu l. 38. D. de Hered. peti.* Sicut ex contrario bona eorum, qui ex administratione reliquantur (quia per hoc debitores fiunt, *l. 6. §. 1. D. de muner.*) ab his, quorum res gestæ sunt, possessa, donec ratio reddatur & reliqua inferantur, jure retinentur *l. 18. D. de Negot. gestu l. 20. C. de administ. tut. arg. l. fin. C. quò quicq. ord. conv.*

LXI. Præterea in rem actione conventus (quia possessor est) plerumq; retentionis excepzione se tueri potest; Ita enim donatarius, licet ex inutili donatione res ei tradita sit, ob impendia tamen necessaria & reliquos probabiles sumptus, vindicantem doli mali excepzione repellit *l. 4. §. 9. D. de doli mal. C. met. exc. l. 53. §. fin. D. de furt.*

LXII. Ita legatarius de possessione rerum hereditariarum, in quâ vel per missionem ex decreto factam, vel aliàs legitimè constitutus invenitur, non prius discedere opus habet, quam solutum ei legatum fuerit, aut ejus nomine satisfidatum *l. 18. §. pen. D. Fam. excise. l. 2. D. pro herede.* idq; legatario duplici ex causa facere licet: primò enim tales res detinet, ex quibus sibi legata debentur, ex qua causa justam esse retentionem supra th. 9. demonstravimus, deinde quoque bona testatoris pro legato tacitè sibi obligata habet *l. 1. C. comm. de legat.*

LXIII. Cæterum hæreditatis possessor illius nomine conventus, vel ad ejus restitutionem condemnatus, bona hereditaria, donec sibi expensæ in defuncti infirmitatem, nq; funeris sumptum, vel aliàs in defuncti gratiam, puta per monumenti erectionem (si tamen probabilem modum faciendi monumenti, vel quantum testator jusserat, non excedant) de suo proprio bonâ fide erogata, refundantur, licitè retinet *l. 4. C. de peti. hered. l. 45. D. de religiosis, l. 50. §. 1. D. de hered. peti. l. 31. §. 4. D. de Negot. gest.*

LXIV.

LXIV. Ob id quoq; , quod hereditatis possessor; putans se ex testamento heredem esse, legatorum nomine de suo solvit, nec cautionem exigit, ut evictâ hereditate legata reddantur, per retentionem rerum ex hereditate possessarum ipsi subvenitur, ne damnum patiatur, itâ tamen ut ipse petitori adversus legatarios actiones cedat, *l. 17. D. de hered. petit. eam deniq; ob causam, quod alijs creditoribus hereditarijs possessor de suo bonâ fide solvit, retentionem rerum hereditariarum habet, arg. l. 5. C. de petit. hered. l. 31. D. eod.*

LXV. Illud summatim in omni alienam rem bonâ fide possidente obtinet, quod si quas in rem possessam impensas fecit, veluti si in fundo ædificavit, vel conseruit, vel rem periturâ refecit, aut quicquam aliud bona fide impendit, siquidem hoc negotium tanquam proprium gessit, illas nullo alio modo, quam ante rei restitutionem, per ejusdem retentionē servare possit *l. 33. in fin. D. de condict. indebit. l. 14. D. de dol. mal. & metus except. & si talis possessor retentionem obijciat, non aliter cogendus sit rem restituere, quam sumptus erogatos receperit, l. 29. §. 2. D. de pignor. §. 31. 33. 34. Inst. de R. D. l. 9. §. 1. D. de acquir. rer. dom.*

LXVI. Quæ hucusq; de retentione dicta, eum in finem proposita sunt, ut intelligeretur, quibus ex causis, & in quibus rebus possidentibus retentio competat, ulterius autem admonuisse operæ pretium est, quomodò quisq; sibi retentionem applicare possit, quidque inde utilitatis percipiat; Sciendum itaq; est, eum, cui retentionis commodum indulgetur, & ipso jure, & exceptione doli mali se tueri posse.

LXVII. Ipso jure res retinentur, quoties earum possessio extra iudicium advocatur, *arg. l. 29. §. 1. D. de Evict. tunc enim detentores, qui causam retinendi possessionem legibus cognitam allegare valent, res suas recuperare volentibus ipso jure, non expectatâ iudicis declaratione liberè resistunt, l. non ab re 10. C. unde vi. l. 12. D. de vi & vi arm. l. 8. D. de pign. act.*

LXVIII. In iudicio vero conventi rerum alienarum possessores, justas retentionis causas allegando probandoq; *arg. l. 4. & 5. C. de pet. hered.* per doli mali exceptionem rerum possessionem vindicantes repellunt, *d. §. 31. 33. 34. Inst. de R. D. l. 14. D. de dol. mal. & met. exc. l. fin. C. depositi.*

LXIX. Quo autem sine Retentio introducta sit? si quærat, certum est, usum retentionis æquissimum esse & utilissimum, imò quandoq; necessarium: Velenim ei datur retentio, qui operâ & impensis suis rem alienam conseravit, vel meliorem fecit, & sic summa æquitas suadet, ut impendia restituantur *l. 46. §. 6. D. de procur. l. 48. D. de R. vindic.* ut nemo cum alterius detrimento lucrum faciat, *l. 38. D. de hered. petit. l. 14. D. de condict. indebit.* ut quis denique officio suo juvetur, non decipiatur *l. 17. §. 3. D. commodati c. unie. n. cod.*

LXX.

LXX. Vel ideo retentione quis utitur, ut, quod per actionem consequi non potest, per retentionem consequatur *l. 29. §. 1. D. de evict. l. 33. D. de condict. in debit.* vel ut commodius & facilius id, quod sibi praestari debet, adipiscatur, & sic utroq; casu, magna retentioni inest utilitas pariter & necessitas, cum utilius commodiusq; sit, imò vel maximè nostra interfit, per retentionem potius nostrum servare, quàm agendo repetere *arg. l. 3. D. de compensat. l. 2. D. de L. Rhod. de jact. l. 5. D. de dol. mal. & met. excep. l. 59. D. de furt. l. 1. D. de pign.*

LXXI. Hinc est, quod nec inanem retentionem leges esse velint, sed tam à parte possidentis, quam à parte petentis suos producere effectus: A parte possidentis, ante omnia hoc operatur retentio, ut ipsum securum faciat de eo, quod à petitore praestari debet, *l. si non sortem 26. §. si centum 4. D. de condict. in debiti l. unio. C. etiam ob chyrograph. pecun.* & licet interdum per actionem idem consequi possit, tutius tamen ipsi est, rei potius incumbere, quam in personam agere *§. 14. Inst. de obl. quae ex qs. delict.* minusq; est actionem habere, quam rem, *l. 204. D. de R. I.*

LXXII. Tribuit deinde Retentio retinenti furti actionem, si res, quam justa ex causa retinet, surrepta fuerit, adeò, ut & verus rei dominus, si eam furto abstulerit, ei, cujus interest retinere possessionem, non secus ac si pignus furripuerit, furti actione teneatur *l. 14. §. 1. l. 15. §. fin. l. 53. §. fin. D. de furti.* idem de vi bonorum raptorum actione statuendum, si res, cujus justa retentio est, vi rapta fuerit, per *§. fin. Inst. de vi bon. rapt.*

LXXIII. Fructus tamen retinens interim suos non facit, sed eorum ratio in restitutione omninò habetur: ita ut deductis expensis in sortem debiti imputentur, adeoq; ipsam debiti quantitatem minuunt *c. 1. & 8. x. de usuri l. 2. 3. C. de pign. act. l. 9. C. de pignor.* Singulare verò in muliere est, quod dum retentione in bonis mariti pro dote utitur, fructibus interim ad sustentationem suam, ut & mariti, si vivit, nec non liberorum fruatur *l. 29. C. de jur. dot.*

LXXIV. Hæc deniq; vis àll. retentioni tribuitur, ut in heredes transmitti *l. si pater 8. C. de act. empti.* utq; in singularem successorem transferri possit, v. g. si res, quæ ex justa causa retineri potuit, alienata sit, & ab illo, in quem ea translata est, vindicetur, poterit is ex eadem autoris sui causa retentione uti. *l. 14. §. 1. D. comm. divid.*

LXXV. A parte petentis hoc operatur retentio, ut ipsi ad tempus inhibeat rei persecutio *l. 44. §. 1. D. de damn. inf.* utq; ipsa impediatur executio *l. 29. §. 2. D. de pignor.* inde fit; ut exceptio retentionis nò minus ac compensationis in ipsa executione opponi possit *arg. l. ex diverso 17. D. solut. mat. l. 4. §. C. de pet. hered.*

LXXVI. Tantæ autem efficaciz non est retentio, ut usurpationem patriat, aut veri domini possessionem intervertat, *l. 20. D. de acquir. poss.* vel ejus, qui ad usucapiendum possidet, *l. 36. D. d. t. l. 2. D. pro herede.*

LXXVII,

LXXVII. Neque etiam in perpetuum durat retentio, sed ex varijs causis finem accipit, veluti, si petitor impensas reddat *l. 38. D. de R. V.* vel damnum possessori præstet, *l. 22. D. de damn. infect.* aut de eo caveat *l. 8. §. 1. D. de pignor. act. l. 9. §. 3. D. de damn. infect.* si debitum solvat *l. 26. s. 4. D. de condict. indeb. l. 4. C. de pignorib. l. 11. §. 1. D. eod.* vel offerat *l. fin. C. de parti pign.* si compensare paratus sit *l. 2. D. de compens. l. fin. C. de lustrione pign.* si is, qui retinet, sortem rei debitæ ex fructibus perceperit. *l. 1. D. de pign. act. c. 6. x. de pignor. c. 1. 8. x. de usuris.* si deniq; quocunq; modo ei satisfactum fuerit *d. l. fin. C. de lustr. pign. l. 52. D. de solution.* Nam cum horum quicquam intercesserit, cessat retentio, & possessor rem petitori protinus restituere cogitur *per all. 4.*

LXXVIII. Illud hoc loco annotandum, quod cum quid utilitatis rei possessæ sumptibus possessoris accessit, si hoc ita comparatum est, ut sine læsione status ipsius rei tolli possit, petitorq; , ut possessor illud tollat, pati paratus sit (invito enim ipso, & ad refundendum impensas parato tolli non potest, *l. 38. D. de R. V.*) jure retentionis possessor uti, vel doli mali exceptionem petitori opponere amplius non queat, *l. 27. §. pen. vers. nisi tamen D. d. t. d. l. 38. verb. fiat ei potestas.* Si verò id, quod sumptibus detentoris, rei quæ petitur, utiliter accessit, vel sine ejus rei læsione, vel aliàs planè tolli non potest, v. g. si possessor servum erudiri curavit, (scientiam quippe auferre non licet) tunc siquidem petitori sumptus ita utiliter factos restituere propter inopiam possibile non est, extra casus in *l. 29. §. 30. D. d. t. exceptos*, retentionis remedium adeò cessat, ut petitor ob tales sumptus re suâ carere nō teneatur *d. l. 27. §. fin. l. 79 §. 1. D. de V. S.*

LXXIX. Nihil autem tam contrarium est retentioni, quam possessionis amissio, sive ea spontanea detentoris voluntate vel traditione *l. 33. D. de condict. indebiti l. 14. §. 1. D. comm. divid.* sive alio casu, puta rei interitu, vel aliàs contigerit *l. 8. D. de pign. act.* quo facto, si tale quid possessori à petitore præstari debet, quod per retentionem tantùm servari potest, eo privatur *d. l. 33. l. 51. D. de condict. indeb. l. 14. D. de doli except.* Si verò tale quid debetur, quod & per retentionem, & per actionē possessor cōsequi potest, amissâ possessione actio superest, *d. l. 8. D. de pign. act. l. 45. §. 1. D. de act. empt.*

LXXX. Hæc quæ de Retentione compendiosè per theses proposita sunt, ad ejus naturam cognoscendam indicasse satis est; reliqua enim, quæ de amplâ hac materiâ tradenda, sed brevitatibus ergò hoc loco omittenda fuerunt, ad ea, quæ dicta sunt, non incommodè referri poterunt. Et si quæ præterea retentionis species in jure occurrunt, quales sunt famosæ illæ ex L. Falcidia, ex S. C. Trebell. & aliæ similes, quia nō tam jure pignoris, quàm jure proprietatis, vel alio modo contingunt, cum Retentione hætenus descriptâ nō conveniunt, sed ab eâ, secundum proprias suas affectiones & qualitates intellectæ, optimè discernuntur. DEO igitur, cum quo cæpi, gratias agens finem in augurali Disputationi impono.







the scale towards document

quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 re sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicit, vel alio modo eosdem fallat.  
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-  
 ntra Phocam, Palatinum Constanti-  
 nopolitensem, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, ad jumento intercessionum, quas  
 impetraverat, in plurimorum prin-  
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniam  
 emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 dam, ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 am poenam temporalis relegationis in-  
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
*sequenti num. 41. adducit exem-*  
*plum assumpto nomine Advocati cujus-*  
*dam publicè jactaverat, quem postea*  
*Senatus virgis coedi, & exilio*  
*condemnavit & huc exempla relata à Valer.*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 nit, ut apud Historicos aliosque scripto-  
 rum inter quae notissimum est illud Plau-  
 tum in forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

